



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Deum esse, rationibus demonstratur. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

omnium animis statim hæret. Græcè videtur Nazianzenus participio *συμμετέχον*, à verbo, *συμμετέχειν*, quod non significat euidenter colligere, aut demonstrare, sed simpliciter ratiocinari. Hæc igitur sententia confirmanda solum nobiserit seq. cap. adductis rationibus ad probandum, esse Deum, quas demonstrationes esse putamus. Nunc argumentis Alliacenſis satisfaciendum est.

Prius argumentum nullius esse momenti, ex his quæ dicemus seq. cap. constabit. Ad aliud vero respondeo, etiam si demonstrari non possit, Deum esse vnum, posse tamen demonstrari Deum esse, hoc est, aliquid numen super omnia visibilia, & creata, vt sequenti cap. videbimus. Deinde respondeo, demonstrari posse Deum esse vnum, vt quæst. 11. patebit, non minus facile, quam Deum esse in rerum natura. Circa ea tamen, quæ diximus, & quæ sequenti cap. dicenda sunt, aduertendum est, talis naturæ esse demonstrationes, vt in eis eavis, & euidencia requirenda non sit, quæ in Mathematicis reperitur: sed quam naturalis, aut Metaphysica, vel moralis scientia exposcit: ad hæc enim tria capita omnes, quas subinde adducemus, referuntur.

CAPVT IV.

Deum esse, rationibus demonstratur.

Enitendum nobis est, rationibus ductis solum ex principiis naturalibus, Deum demonstrare: nam Theologicis rationibus contra Atheos frustra disputaremus. Cæterum, cum plurimæ afferri soleant, quas congerunt S. Thomas 1. contra gent. c. 13. & in art. 3. huius questionis, Henricus, & Scotus locis allegatis, omiſſis nonnullis, eis solum vtemur, quæ efficaciores sunt, & Theologum magis decent. Illud autem præmittendum duxi, quod à viris magnæ auctoritatis accepi, nempe in Gallia, & Anglia, vbi nunc Atheismus maxime viget, perditissimos homines ab Atheismo facile reuocari, dum Magicis artibus, in aliis, aut in seipſis, mirabiles effectus experiuntur, qui omnem humanam, & visibilem potentiam superant: quibus coacti credunt præter ea, quæ sub aspectum cadunt, aliquid spirituale, & potentioris virtutis esse: quo admissio facilius in eam sententiam adducuntur, vt numen aliquod fæantur: hoc enim ideo negant, quod nihil aliud præter ista corporea, & visibilia esse putent: peiores quidem Seducæis, qui quancumque spiritum creatum, & animæ immortalitatem negabant, Deum tamen sacrificiis agnoscebant. Quare testantur viri grauissimi eo magis in Gallia, & Anglia homines ab Atheismo detineri, quo audius Magicis artibus student: quod nisi inter hæreticos Deus permisisset, pene omnes iam in Atheismo versarentur.

Prima igitur demonstratio talis est. Omne, quod est in vniuerso, aut est à se, aut ab alio: prius dici non potest: videmus enim permulta non tantum ab aliis fieri, sed etiam conferuari, & multis indigere, vt à contrariis se defendant: neque omnia ab alio pendere possunt: sic enī fieret, vt causarum ordo infinitus esset: id quod omnes philosophi cum Aristotele 2. Metaphysic. cap. 2. merito putant absurdum. Primum, quoniam essentialis ordo causarum efficientium, de quibus modo loquimur, non posset per infinitam seriem, virtutem superiorum ad inferiores deferre.

Videq. 1. partem Tomus 1.

Tum etiam non videtur possibile, vnamquamque rem infinito numero causarum ad sui conseruationem indigere: habet enim vnaquæque determinatam naturam, ac proinde determinatam etiam postulat causam, quæ huius, vel illius naturæ sit: quare à confusa, & infinita multitudine causarum pendere non potest.

Ad hæc, cum nihil primum in eo ordine causarum assignetur, & vnaquæque ab alia pendeat, cogimur fateri totam hanc rerum machinam veluti à casu, & sine causa ita esse dispositam, cum nihil sit firmum, & stabile, ad quod cætera reuocentur: cuius natura, vel voluntate cætera producta sint, & conseruentur: nulla enim esset causa, nulla ratio, ob quam rerum vniuersitas serie illa infinita esset disposita: tum quia non esset voluntas superior: tum quia nulla esset natura: quia natura in vnaquæque re determinata est: ac proinde ex se determinatam causarum multitudinem postulat. Omnium autem simul non esset vna natura, quæ talem infinitum ordinem exposceret, vt manifestum est: esset igitur quasi Chaos, & maxima confusio, cum qua hæc rerum pulchritudo, & conuenientia cum debita contrarietate, quam videmus, constare non posset.

Neque vero contendo modo pluralitatem deorum excludere: de hoc enim quæst. 11. differendum est: neque an sit corpus, vel spiritus: de quo sequenti disp. dicemus: solum generatim probare volo, in hac rerum vniuersitate esse numen diuinum, id quod prædicta ratione facile colligitur. Si enim est ens aliquod, quod non sit ab alio, sequitur necessario semper fuisse: neque enim ab aliqua causa determinari potest, vt in tempore incipiat, & aliquando desinat. Sequitur præterea, illud ens esse causam. Si enim in effectibus, & causis status dari debet, tandem ad primam, quæ sit huiusmodi, deueniendum est: hæc autem proprietates soli Deo conueniunt: ergo qui facitur, hoc modo esse ens necessarium, reipsa concedit Deum esse, licet ipsum Dei nomine non appelleret.

Hæc ratio ex principiis metaphysicæ, & philosophiæ, quæ Aristot. 2. met. cap. 2. tradidit, petita est. Aristoteles enim probat impossibile esse processum in infinitum in causis efficientibus per se ordinatis. Eam etiam retigit S. Thomas, & alij Scholastici commemorati, & Damascenus 1. de fide, cap. 3.

Secunda demonstratio ex philosophia morali deprompta huiusmodi est. Qui Deum è medio tollit, necesse est, vt etiam auferat præmia virtutum, & vitiorum supplicia: post hanc vitam: quis enim index in ea causa esse poterit? præsertim quod qui Deum negat, immortalitatem etiam animæ negare debet. His enim sublatis, virtus, quæ etiam perditissimi homines in aliis venerantur, sine digno præmio maneret. Accidit enim interdum magis modestos, & studiosos hanc vitam miserrime transigere. Si ergo post mortem præmium vere laudis, quod natura sua virtus exposcit, nullus retribuatur, manebit virtus sine præmio: virtutem autem præmium mereri facinorosi etiam fatentur. Felicitior quoque esset ille, qui in vitio nutritus cutem curaret, quandoquidem nulla eum manerent supplicia. Quæ ergo semel negat Deum, ac proinde animæ immortalitatem, auferit etiam cultum erga Deum, religionem iuramenti, denique omnem virtutem è medio tollit, optimum enim

Ordo infinitus, & essentia illius, & alia, & rerum infinita.

12

Ens quod non est ab alio Deus est necessarium.

Aristoteles.

S. Thomas. Damasc.

Secunda moralis demonstratio.

13

112

num

nim esset vitæ corporalis commoditas, si præter ipsam nec Deus, nec res alia immortalis superesset.

Anselm.

Tertia demonstratio satis acuta, quam Anselmus profequitur in prologia, cap. 2 & in lib. pro insipiente, hæc est. Deus est id, quo melius excogitari non potest: sed id, quo melius excogitari non potest, nequit esse in sola cogitatione, sic enim non esset melius: id enim melius est, quod in cogitatione, & in re ipsa est: ergo Deus est in rerum natura. Cæterum in re apud gentes etiam barbaras adeo nota aduersus Atheos, qui lumen rationis videntur amisisse, hæ rationes sufficiant. Contra hos enim non tam rationibus quam armis agere oportet. Vt enim dixit Arist. 1. Topic. cap. 9. circa finem, non omne problema disputandum est, sed quod indiget ratione aliqua. & examine, est enim aliud quod in dubium reuocare pæne dignum est, quale est, inquit Arist. an oporteat Deum honorare.

Arist.

14

QVÆSTIO III

De Dei simplicitate.

Cognito de aliquo an sit, inquirendum restat, quomodo sit, ut sciatur de eo quid sit. Sed quia de Deo scire non possumus quid sit: sed quid non sit: non possumus considerare de Deo quomodo sit, sed potius quomodo non sit.

Primo ergo considerandum est, quomodo non sit.

Secundo, quomodo à nobis cognoscatur.

Tertio, quomodo nominetur.

Potest autem ostendi de Deo quomodo non sit, remouendo ab eo ea, quæ ei non conueniunt, ut potè compositionem, motum, & alia huiusmodi.

Primo ergo inquiretur de simplicitate ipsius, per quam remouetur ab eo compositio. Et quia simplicia in rebus corporalibus sunt imperfecta, & partes.

Secundo inquiretur de perfectione ipsius.

Tertio de infinitate eius.

Quarto de immutabilitate.

Quinto de unitate.

Ab hac quaestione incipit S. Thomas demonstrare passionem, & veluti proprietates Dei, qui est subiectum totius Theologia: superiori enim probauit id, quod alias supponendum erat, (scilicet esse Deum) nisi opus fuisset errori aliquorum insipientium occurrere. Ab hac vero quaestione vsque ad 43. ubi naturam Dei, & attributa pertractat, viam communem considerandi diuina, quam commendant Dionysius, & Damascenus, sequitur, nempe viam cognoscendi Deum per negationem. Quæ autem Deo in seipso conueniunt, quatuor modis considerat. Primo perfectiones Dei, quæ non sunt operationes, ab hac quaestione vsque ad 11. Secundo quaest. 12. & 13. eadem perfectiones quatenus ad nostrum intellectum referuntur. Tertio à quaest. 14. vsque ad 16. perfectiones Dei

Dionysius.
Damascen.
Ordo seruatus à S. Thomas.

positas in operatione immanenti, quæ non est productio, intellectus videlicet, & voluntatis. Quarto à quaest. 27. vsque ad 41. operationes, quæ sunt productiones intra ipsum Deum. Postremo operationes extra ipsum, & effectus omnes percurrit.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus sit corpus.

AD Primum sic proceditur. Videtur quod Deus sit corpus. Corpus enim est quod habet trinam dimensionem: sed sacra Scriptura attribuit Deo trinam dimensionem: dicitur enim Iob 11. Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari: ergo Deus est corpus.

Secundo, Præterea, Omne figuratum est corpus, cum figura sit qualitas circa quantitatem: sed Deus videtur esse figuratus, cum scriptum sit Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: figura enim imago dicitur, secundum illud Hebr. 1. Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, id est, imago: ergo Deus est corpus.

Tertio, Præterea, Omne quod habet partes corporeas est corpus: sed Scriptura attribuit Deo partes corporeas: dicitur enim Iob 41. Si habes brachium vt Deus & in Psalm. Oculi Domini super iustos: & dextera Domini fecit virtutem: ergo Deus est corpus.

Quarto, Præterea, Situs non conuenit nisi corpori: sed ea, quæ ad situm pertinent, in Scripturis dicuntur de Deo, dicitur enim Isaïa 6. Vidi Dominum sedentem & Isaïa 3. Stat ad iudicandum Dominus, ergo Deus est corpus.

Quinto, Præterea, Nihil potest esse terminus localis à quo, vel ad quæ, nisi sit corpus vel aliquod corporeum: sed Deus in Scriptura dicitur esse terminus localis, vt ad quem, secundum illud Psalm. Ecce, ad eum, & illud. & vt à quo, secundum illud Ierem 17. recedentes à te in terra scribentur: ergo Deus est corpus.

Sed contra est quod dicitur Ioan. 4. Spiritus est Deus.

Resp. dicendum absolute Deum non esse corpus: quod tripliciter ostendi potest.

Primo quidem, quia nullum corpus mouet non motum, vt patet inducendo per singula. Ostensum est autem supra, quod Deus est primum mouens immobile: vnde manifestum est quod Deus non est corpus.

Secundo, quia necesse est id, quod est primum ens, esse in actu, & nullo modo in

14
1. contra 1. 2.
& lib. 1. c. 3.
prin. & lib. 4.
c. 11. col. 2.
& epus 3. 6.
16. & 17.

q. 2. art. 5.

in potentia. Licet enim in vno & eodem, quod exit de potentia in actum, prius sit potentia, quam actus tempore simpliciter, tamen actus prior est potentia, quia quod est in potentia, non reducitur in actum nisi per ens actu. Ostensum est autem supra quod Deus est primum ens. Impossibile est igitur quod in Deo sit aliquid in potentia: omne autem corpus est in potentia: quia continuum in quantum huiusmodi diuisibile est in infinitum: impossibile est igitur Deum esse corpus.

Tertio, quia Deus est id, quod est nobilissimum in entibus, vt ex dictis patet. Impossibile est autem aliquod corpus esse nobilissimum in entibus: quia corpus aut est viuum, aut non viuum. Corpus autem viuum manifestum est, quod est nobilius corpore non viuo: corpus autem viuum non viuut in quantum corpus, quia sic omne corpus viueret, oportet igitur quod viuat per aliquid, sicut corpus nostrum viuut per animam. Illud autem, per quod viuut corpus, est nobilius quam corpus: impossibile est igitur Deum esse corpus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est, sacra Scriptura tradit nobis spiritualia, & diuina sub similitudinibus corporalium. Vnde, cum triam dimensionem Deo attribuit sub similitudine quantitatis corporeæ, quantitatem virtualium ipsius designat: vt potest per profunditatem, virtutem ad cognoscendum occulta: per altitudinem, excellentiam virtutis super omnia: per longitudinem, durationem sui esse: per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia. Vel, vt dicit Dion. 9. c. de diu. nom. per profunditatem Dei, intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentia: per longitudinem, processum virtutis eius omnia penetrantis: per latitudinem vero superextensio eius ad omnia, in quantum scilicet sub eius protectione omnia continentur.

Ad secundum dicendum, quod homo dicitur esse ad imaginem Dei, non secundum corpus, sed secundum id, quo homo excelsit alia animalia: vnde sequitur Gen. 1. postquam dictum est, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & c. Excelsit autem homo omnia animalia quantum ad rationem, & intellectum: vnde secundum intellectum, & rationem, quæ sunt incorporea, homo est ad imaginem Dei.

Ad tertium dicendum, quod partes
Vasquez in 1. parti. Tomus I.

corporeæ attribuuntur Deo in Scripturis ratione suorum, actuum secundum quandam similitudinem, sicut actus oculi est videre: vnde oculus de Deo dictus significat virtutem eius ad videndum modo intelligibili non sensibili: & simile est de alijs partibus.

Ad quartum dicendum, quod etiam ea, quæ ad situm pertinent, non attribuuntur Deo, nisi secundum quandam similitudinem: sicut dicitur sedens, propter suam immobilitatem, & auctoritatem, & stans propter suam fortitudinem ad debellandum omne quod aduersatur.

Ad quintum dicendum, quod ad Deum non acceditur passibus corporalibus, cum vbique sit: sed affectibus mentis: & eodem modo ab eo receditur: & sic accessus, & recessus sub similitudine localis motus designant spirituale affectum.

Notatio circa Articulum.

CONCLVSIO est: Deus non est corpus, nec corpore constat. Quam confirmat S. Doctor tribus rationibus, quas habes in textu. Circa illas vero, & propositiones, quas assumit, multa, quæ ad philosophum pertinent, disputant Caietanus, & recentiores Thomistæ, quæ instituto nostro parum sunt accommodata. Nos vero, vt initio huius operis promissimus, ea solum ex philosophia accipiemus, quæ ad hanc veritatem confirmandam conducere possunt: erroresque & gradum certitudinis, quem in Theologia, & philosophia habet, exponemus. Circa titulum autem articuli observandum est, cum Caietan. in commentario articulo sequentis, hic non esse questionem, an Deus sit corpus compositum ex materia & forma. Quamuis enim in doctrina B. Thomæ idem sit corpus & compositum ex materia & forma; Schola enim eius nullum corpus simplex agnoscit: quia tamen aliqui arbitrati sunt aliquod corpus sine compositione esse, merito querit in vniuersum, an sit corpus, sequenti autem articulo an sit compositus ex materia & forma. In tertia nihilominus ratione aliquid etiam indicat de compositione.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Deo sit compositio forme, & materia.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in Deo sit compositio forme, & materia. Omne enim, quod habet animam, est compositum ex materia, & forma: quia anima est forma corporis; sed Scriptura attribuit animam Deo: introducit enim ad Hebræos 10. Ex persona Dei, Iustus autem meus ex fide viuut: quod si subtraxerit se, non placebit anima mea: ego Deus est compositus ex materia, & forma.

2. Præterea, ira, gaudium, & huiusmodi sunt passionnes coniuncti, vt dicitur

H 3

citur

15
1. contra 2.
17 & 37.
Et opusc. 3.
cap. 9.

Tex. 12. &
14. & 15.
tomo 2.

citur i. de Anima: sed huiusmodi attribuantur Deo in Scriptura; dicitur enim in Psalm. Iratus furore Dominus in populum suum: Ergo Deus ex materia, & forma est compositus.

3. Præterea, Materia est principium indiuiduationis, sed Deus videtur esse indiuiduum; non enim de multis prædicatur: ergo est compositus ex materia & forma.

Art. præced.

Sed contra, omne compositum ex materia, & forma est corpus, quantitas enim dimensiuæ est, quæ primo inheret materiæ, sed Deus non est corpus, ut ostensum est, ergo Deus non est compositus ex materia, & forma.

Respondendo dicendum, quod impossibile est in Deo esse materiam.

Qu. 2. art. 3.

Primo quidem, quia materia est id, quod est in potentia: ostensum est autem, quod Deus est purus actus non habens aliquid de potentialitate, unde impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, & forma.

Secundo, quia omne compositum ex materia, & forma est perfectum: & bonum per suam formam, unde oportet quod sit bonum per participationem secundum quod materia participat formam. Primum autem, quod est bonum, & optimum, quod Deus est, non est bonum per participationem: Quia bonum per essentiam prius est bono per participationem: unde impossibile est quod Deus sit compositus ex materia & forma.

q. præced.
art. 3.

Tertio, quia vnumquodque agens agit per suam formam: Unde secundum quod aliquid se habet ad suam formam, sic de habet ad hoc quod sit agens: quod igitur primum est, & per se agens, oportet quod sit primo, & per se forma. Deus autem est primum agens, cum sit prima causa efficiens, ut ostensum est. Est igitur per essentiam suam forma, & non compositus ex materia, & forma.

Ad primum ergo dicendum, quod anima attribuitur Deo per similitudinem actus: quod enim volumus aliquid nobis, ex anima nostra est: unde illud dicitur esse placitum animæ Dei, quod est placitum voluntati ipsius.

Ad secundum dicendum, quod ira, & huiusmodi attribuantur Deo secundum similitudinem effectus: quia enim proprium est irati punire, eius ira punitio metaphorice vocatur.

Ad tertium dicendum, quod formæ, quæ sunt receptibiles in materia, indiuiduantur per materiam, quæ non potest

esse in alio, cum sit primum subiectum substantiæ: forma vero, quantum est de se, nisi aliquid aliud impediatur, recipi potest à pluribus. Sed illa forma, quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso indiuiduatur, quod non potest recipi in alio, & huiusmodi forma est Deus: unde non sequitur, quod habeat materiam.

Conclusio est: Non potest in Deo esse talis compositio. Probaturs tribus rationibus, ex quibus vnam afferemus sequenti disp. in confirmationem doctrinæ Catholicæ. Quoniam vero materia huius articuli nihil peculiare habet, quod ad Theologum spectet præter id, quod commune est cum doctrina præcedentis, ideo sub vna disputatione vtriusque materiam complectemur.

DISPUTATIO XXI.

An Deus sit corpus, vel materiam habeat, & formam.

Varij errores, cap. 1.

Catholica veritas Scripturæ & Patrum auctoritate firmata, cap. 2.

Rationes eiusdem sententiæ, cap. 3.

CAPVT I.

Varij errores.

Tanta est humani ingenij imbecillitas, & morum peruersitas, ut, si lumine diuinæ gratiæ non præparetur à Domino, non tantum circa ea, quæ sola reuelatione supernaturali constant, sed etiam circa ea quæ naturali rationi consentanea sunt, turpissime labatur. Ideoque supra disp. i. c. 2. notavi, sacram doctrinam necessariam esse non solum ad mysteria supernaturalia, sed etiam ad naturales veritates sine errore intelligendas. Sicut ergo non defuerunt, qui in profundum malorum prolapsi, Deum negarent, quæ omnium veritatum notissima est, ita mirum esse non debet, fuisse aliquos adeo stultos hæreticos, qui Deum corporeum esse affirmarent. Inter Ethnicos autem philosophos, ut refert Damascen. lib. de hæresibus, huius erroris auctores primi Stoici fuerunt. Dicebant enim corpus esse omnia, atque Deum esse hunc mundum, qui sensu percipitur. In qua sententia fuisse Thaletam, narrat Euseb. lib. 4. de præparatione Euang. c. 6. Sed Epiphanius hæresi 5. affirmat, Stoicos docuisse Deum esse animam mundi, id quod Damascenus non omnibus sed quibusdam illorum tribuit. Nihilominus docere potuerunt ipsum esse corporeum, ut constabit ex artic. 8. huius quæst. sicut docuit Democritus quem in eo articulo referemus.

Inter Christianos vero huius erroris magister recte Epiphanius hæresi. 70. fuit tempore Arii, Audius, vel Andæus monachus, vir antea religiosus, & pius, qui Christiana libertate, & zelo religionis non solum sui ordinis religiosos, & presbyteros, sed Episcopos etiam à male factis acriter increpabat. Postea tamen occasione quadam, quam narrat Epiphanius, ab Ecclesia discedens, docere cepit illud Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, impletum fuisse secundum

Damascen.
Stoici primi
huius erroris
auctores

Eusebius.
Thales,
Epiphanius.

Audius vel
Andæus
Monachus.

Genes. 1.

secundum